

PALATINO SELECTUS.

85

En Divinum diversissimarum Virtutum temperamentum ! En rationem, quâ Principes quascunq̃ue malevolorum turbas exsuperant ! Severitas mansuetudine lenitur ; Mansuetudo severitate acuitur. Qui alterutrâ caret, Inimicis aut odium debet aut ludibrium. Qui utramque possidet, Is demum Principali dignus est Solio. Is, quod de TITO fertur, & honore fruitur absq̃ue invidia, & popularis est absq̃ue contemptu, mereturque vocari **humani generis & Amor & Deliciæ!**

XXVI.

IUDÆA CAPTA.



QUANTA DEI erga gratos Benignitas, tanta est in ingratos indignationis ardor ; Quantò tardior vindicta, tantò & gravior, & in animis Posterorum durabilior memoria. Gentem Judæorum haud aliter ac Filium dilexerat ; At eandem postquam Beneficiorum immemor descisceret, haud aliter ac hostem persecutus est, tandemq̃ue in extremas conjecit miseria.

Lachrymosum Hierosolymarum excidium quis non audit ? Quis non Nobilissimum Titi Triumphum ? Si JOSEPHUS taceret, Lapidibus loquerentur. Utriusq̃ue Simulacra non in Numismatibus tantum, sed in Gemmis etiam inveneris. Proposita antiquissimæ notæ, artificii non spernendi, Palmam exhibet Regionis Judaicæ prolem. Palmæ adjacent varia Judaicorum armorum genera. Armis hinc infidet Fœmina specie lugentis, illinc adstat Vir Paludamento regio indutus. De fœmina constat Judæam denotari ; Virum A. Rubenius Captivum facit, sed Oisellius, quod Paludamento indutus sit, ipsum Imperatorem arbitratur. Nostra Gemma Rubenio subscribit. Virum hunc barbarum facit, qualis nec Titus nec Vespasianus. Manus post tergum revinctæ captivum innuunt ; Paludamentum non de plebe hominem, sed Principem. Princeps Judæorum in Triumpho Vespasiani occisus, Simon memoratur Josepho, Gioræ filius. Hunc quidni in Gemma & Numismatibus expressum dicamus ? Eodem Paludamento insignis visitur, & captivus quidam Parthorum Rex in ædibus Cæsiis. Indignam Principali fastigio fortem ! Indignam

L 3

dignam

